



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ars Bonæ Mortis. Sive: Quotidiana Erga Sanctissimam Dei Matrem Mariam Pietas

Ad omnia quidem utilis. Ad felicem tamen mortem obtinendam utilissima

Hevenesi, Gábor

Coloniæ Agrippinæ, 1709

XVII. Septembris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50916](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50916)

B. Clemens Capouius Ord. Præd. nobilis
 Marthæ tamen sorte contentus, servilibus
 se obsequiis addixit, cum, aliis ad mensam de
 more euntibus, precibus ad Deiparam con-
 fueris absolvendis insisteret, ex ejus imagine
 vocem audit, quâ ad mensam abire jussus,
 plus Deiparæ bonâ voluntatem cum obedien-
 tia, quàm pietatem cum singularitate placere
 didicit. *Bal.* Non pugnat virtus una cum altera.

B. Clemens ora pro me Deiparam, ut illa
 filium suum mihi clementem faciat, excuset
 apud illum peccata, quæ timeo: quia nec po-
 tiorem meritis ad impetrandum, quæ deside-
 ro, nec ad placandum Judicem efficaciorum
 reperio; flectat illa dulcedine suâ justam Filii
 indignationem. O Sanctissima DEI, & mea,
 Mater pretiosissima! ego N. indignissimus
 filius tuus ex toto corde, omnibusque tam
 corporis, quàm animæ &c. *fol. 190.*

Ad quod impetrandum: In Mariani no-
 minis memoriam, singulis chartæ, in qua ho-
 die aliquid scribam initiis, præfigam Jesu,
 Mariæ, & Joseph nomen.

Quò sublimiùs immensæ Regis cor aspicit
 Deipara, eò profundius divinæ gratiæ pietatis
 afflictorum & misereri, & miseris succurre-
 re novit. *S. Amade. ho. 8. de laud. Virg.*

Quæstio: An B. Virgo habuerit fomitem
 virtutum, quâ propendebat ad bonum, *v. Vega
 Theol. Mar. pal. 34.*